

sto, & nihilominus ad Martyrum Præmia illos pervenisse. *Ex quo*, inquit, *Carthaginæ Episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis quamvis ex bonis & Sacerdotibus, ad Passionem venisse memoratur: licet semper Deo mancipata devotio, dicatis hominibus pro Martyrio deputetur.* Affinia sunt, quæ S. ipse Cyprianus in Lib. de Habitu Virginum tradidit, ubi, postquam Christianas puellas ad curriculum omnium Virtutum hortatus est, hisce verbis documenta sua concludit: *Durate fortiter, spiritaliter pergite, Pervenite Feliciter. Tantum mementote tunc nostri, quum incipiet in vobis Virginitas honorari.* Animadverterat Pamelius, *facere hunc locum pro Invocatione Sanctorum post hanc vitam.* Id negat Johannes Fellus Oxoniensis Episcopus in Notis ad eum Librum, atque interpretationem absœnam prorsus nobis obtrudit. Nisi œolorum usum præjudicatæ opiniones sectæ suæ doctissimo homini heic eripuissent, vidisset & ipse, quod nemo non videre potest in Cypriani verbis. *Pervenite feliciter, exitum e vita præsentis, & ingressum in alteram meliorem aperte significat.* Tunc meritum *Virginum*, quæ honorificaverunt Deum in corpore suo, ab optimo hero honoribus & præmiis afficitur: *Si quis*, inquit Dominus Jo: xii. 26. *mibi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit* (& erit sane, nolente etiam Burnæto, qui vel ipsis Apostolis & Martyribus non locum, ubi Christus nunc est in gloria, sed carcerem quendam sibi incompertum assignat.) *Si quis mibi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Huc S. Cyprianus respexit. Et potissimum quod paullo ante ad easdem Virgines dixerat: *Sed quum Habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris Habitaculi bospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, majoris gratiæ Præmium in Cœlestibus obtinetis.* Itaque e præsentis Sæculo prudentes illæ Virgines abeuntes, ad conspectum Dei & Beatorum Gloriam migraturæ confestim erant; ac propterea, quum illuc pervenerint, se illarum precibus commendat S. Episcopus. Parem ejusdem Sancti Cypriani locum vide infra cap. xxix. Hoc itidem faciendum nuper nos docuit S. Augustinus. Et hocce quidem Doctores Ecclesia Catholica sequitur. Quosnam sequatur Novatorum temporis nostri concordia discors, illi videant. Verum quæ sua mens foret, immo quæ suæ etiam Ecclesiæ sententia, lucoletius nusquam prodidit S. Cyprianus, quam in Libro de Mortalitate. Invaserat Africam teterrima pestilentia. Jam mortem in limina quisque spectabat: jam suam in alienis mortibus fortem legebat. Ad Populum suum in tanta calamitate solandum atque animandum præsto fuit zelus & eloquentia incomparabilis S. Præsulis, præ ceteris ostendens, posse Fidelium quempiam, bene cum Deo compositum, ad gaudia Cœlorum statim post obitum transire: *Regnum Dei*, inquit, *fratres dilectissimi, esse cepit in proximo. Præmium vitæ, & Gaudium salutis æternæ, & Perpetua Lætitia, & possessio Paradisi nuper amissâ, Mundo transeunte, jam veniunt. Jan terrenis Cœlestia, & Magna parvis, & caducis Æterna succedunt. Quis heic anxietatis & soli-*